



Kenn 3480 (1-11)

537



DE  
CAUSSIS AEGRITUDINUM  
THERAPEUTICIS,  
IISQUE  
SUPERSTRUENDO AEGRITUDI-  
NUM SYSTEMATE.

---

CONSENSU ET AUCTORITATE ILLISTRIS  
MEDICORUM ORDINIS,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
PRO OBTINENDO GRADU DOCTORIS MEDICI-  
NAE AC CHIRURGIAE,

H. L. Q. C.

PUBLICE DISPUTABIT

D. XX. SEPTEMBER. MDCCCLXXXIII.

IOANNES GUILIELMUS CHRISTIANUS IUNKER.

HALENSIS.

---

LITTERIS TRAMPIANIS.



CAUSAS AEGRITUDINUM  
THEATRIS

1648

SUPERSCIENS ACCURSUS  
MUSICALEMATE

CONSERVUS ET ADOPTORIUS INGENIEI

EDITIONIS ORIGINIS

IN VADIMANIA HIBERNIANA

PRO OBTINENDO GRADO DOCTORIS MEDICI

NE AC CHIRURGIAE

1648

SUPERSCIENS ACCURSUS

EX EDITIONIBUS IMPRENTARIBUS

JOANNES GUBERIUS CATHOLICUS IMPENSOR

1648

1648



Quanti causarum investigatio facienda sit in mor-  
borum natura rite perspicienda eorumque  
medela felicissime absolvenda, neminem nunc certe su-  
git, sanioribus medicinæ principiis imbutum. Fuit  
inde ab antiquissimis ad nostra usque tempora prudentioris  
cuiuscunque medici sollertissimum studium, causas morbo-  
rum eruendi, earumque differentias constituendi generales.  
Et in hisce quidem definiendis multi egregie desudarunt.  
A philosophis acceptas causarum differentias ad medicinam  
applicarunt, multas felici atque utilissimo, alias vero inu-  
tili certe atque vano omnino labore. Evolvas pathologiæ

A

ge-

generalis varios scriptores et miraberis saepius eruditionem profundissimam. Quasdam differentias quamvis sesquipedalibus a græca lingua suppeditatis verbis expressas, veritate tamen destitutas invenies; alias contra ita comparatas, ut quidem verum quid ipsis respondere videas, applicacionem vero ad cognoscendam morbi naturam aut absolucionem medelam esse omnino nullam. Absolucionem certe esset, reprehendere medicos, quod in caussarum morbificarum explorationē, in re igitur gravissima, omnes, qui cogitari potuerunt, differentias investigatione haud indignas habuerunt; male autem ferendum esse censeo, cum utiliores differentias negligentes, alias contra subtiliori ratiocinio exornare atque iterum iterumque in scriptis pathologicis recognoscere non dubitent. Contigit autem hoc ut in omni medicina ita et præcipue in pathologia ac speciatim in ætiologia, ut, quicunque eruditionem profundam redolere videbatur, id maxime non raro arriserit medicis, simplicem utiliem nudam cuique facile claram veritatem respuentibus. Malunt esse docti quam utiles. Antiquiores autem medicos hoc vitio laborasse, nostros eo esse immunes, nemini concederem. Nostris enim temporibus in medicorum

scho-

scholis illas quidem non audies quæstiones: an morbus sit substantia aut qualitas prædicamentalis? 1) an sit habitus aut dispositio? an impotentia vel proportio? an morbus corporeus sit? 2) neque hodiernum medicum anxie in illa disquisitione desudantem videbis: an hominis conditio, quæ variis molestiis morbi præsentis certis indiciis vexatus, lecto tamen nondum affixus est, *orthostasis*, aut, ut *Ettmüllerus* 3) autumavit *orthostatica* potius *valetudinis rectitudo* dicenda sit? Noli autem id negligere, quod et alia sint, si ab ipsis discesseris, æque inutilia ac a vero medici fine aliena, nisi primo intuitu, reapse tamen non multo minus ridicula, neque igitur ipsis quæstionibus *omnia* contineri superflua e pathologia proscribenda, sed medicis nostris eiusdem valoris fatis multa superesse. Sunt vero certe et multæ caussarum determinationes, consideratione dignissimæ. Ita, ut unam ex iis attingam, non sine

A 2

iure

1) V. AMMAN: Consil. de Institut. medic. emendat. lib. 2. p. 1. c. 1. §. 8. p. m. 120.

2) V. BLASIUS in libro: Impetus Primorofii in Plempium restitutus. Amstelod. 1659, lib. 4. f. 1. c. 2.

3) Oper. medic. Francfurt, 1696. Fol. Vol. 1. p. 176.

iure de remotis et propioribus caussis medici sermonem faciunt. Una vero mihi supereesse videtur caussarum determinatio, ulteriori ac singulari disquisitione longe dignissima. In omni scilicet ægritudinis caussarum serie quasdam invenies, quas medicus prudens in casu obvio aggredi debet, ut finem, quemcunque optimum nunc attingere licet, assequi queat, alias contra, de quibus hoc non valet, quamvis quidem vere ad ægritudinis caussas referendæ sint. Illas *therapeuticas* caussas nominare liceat, quod quidem harum remotio vel sanitatem promittit vel solamen præbet atque lenimen. Cuius determinationis caussarum disquisitionem sua non carere utilitate, non est, quod lectori nunc probare studeam, nisi id ipsum illi pateat ex tota dissertatione, in qua plura verba hac de re facere mecum constitui.

## §. 2.

Generalem vero illam, quam §. 1. dedi, caussæ therapeuticæ delineationem intuenti, nonne tibi vel incredibile esse videtur, neglectam esse hanc a medicis caussarum determinationem, cum illa ipsa sit ea caussa, quam medi-  
cum

cum practicum remedii suis aggredi opporteat, haec vero caussæ determinatio sine omni omnino dubio gravissima sit? Et ego mirarer, nisi hanc sub aliis iam contineri medici credidisse mihi viderentur. Dignam enim alias esse, ut eius fiat seorsim mentio utque ulterius investigetur, et exactius evolvatur, per se patet. Si vero iam sub alia determinatione continetur, quid est, quod singularis fiat eius mentio? Et ita rem se habere medici fere statuere videntur. Loquuntur nempe de remotis et propioribus caussis atque de caussa proxima. Hanc illam esse dicunt, qua sublata tollitur morbus, s. quæ sufficiens est morbum producens, et hanc itaque definitionem simile quid habere vides cum illa therapeutica caussarum determinatione, quamvis toto coelo a se invicem differant. Tollite, clamat saepius, tollite caussam proximam et sanabis morbum, et freti hoc, illam therapeutica caussarum determinationem sua plane non amplius interessere arbitrantur. Errant. Taceo enim, quod rarissime in potestate sit medici, tollere caussam sic dictam proximam, mitto et illud, quod non semper sit medici finis, tollere aegritudinem sed modo lenire, hinc in exploranda caussa therapeutica non

semper de tali agi, qua plane tollitur ægritudo; addo potius, medicum, quamvis et posset illam tollere, attamen caussam proximam tollendo non illam semper sublaturum esse caussam, quam tollere deberet, siquidem illi, ut prudenti medico finem optimum assequi in animo fuisset. Clarus hæc infra patebunt. Fac vero, medicos non ex hac quam autumavi ratione huius caussarum determinationis mentionem nullam facere; hoc tamen certum est, illam ab ista differentia, qua caussæ vel proximæ vel remotæ habentur, longissime abhorrende, immo ab omni alia quacunque determinatione, ideoque dignissimam esse, cuius fiat seorsim mentio. Quæro enim ex te, an caussa therapeutica sit caussa proxima? an potius remota? an externa, an interna? an occasionalis? an seminum morbi vel naturale vel præternaturale? etc. Erras, si de ulla affiras, nec minus egregie falleris, si de ulla negas. Mirifica enim est hac in re varietas; mox haec, mox illa (si nempe alias causarum determinationes spectas) caussa tibi erit therapeutica.

## §. 3

Quæ sunt istæ caussæ, versus quas medicus prudens practicus medicamentorum actionem dirigere solet? quæque

que sunt conditiones quæ in sanandis morborum caussis circumstant? Has tibi proponendas suadeo quæstiones et miram illam mecum invenies varietatem. Meditabar saepius hac de re, et, nescio quam, exinde percepi delectationem; an et utilitatem, eorum sit iudicium, quibus, quam utilissimum quocunque generale assertum in omni scientia sit, non latet. Me vero non plura generalia asserta protulisse, is non mirabitur, quem, quam ardua res sit, ex multis individuis diversissimis maxime universalia deducere, non fugit ex philosophorum scholis. Sæpe in meditando unum alterumve nobis obvenit generale assertum, in cuius quidem veritatem vel nunc iurare parati essemus; longiore autem instituta meditatione unius forsan casus gratia, exceptionem postulantis, pulcherrimam nostram generalem regulam mittere cogimus. Hinc malui nunc temporis quaedam ex iis communicare, quae mihi ad eruenda de caussis therapeuticis generalia asserta conferre posse videbantur, quam haec quidem ipsa omnia, nondum perfecte absoluta, vendere pro perfectis.

Vt in omni medicina facienda, ita et in eruendis hisce, quas medicus practicus aggreditur caussis, fidelis naturae observatio egregie nos, ipsius magistros et ministros, ducere poterit. Scire cupimus, quae caussae sint therapeuticae? Antequam igitur ratiocinio id eruere studeamus, quid est, quod non ipsam prius consulamus benignam naturam? Haec vero proh dolor arcana sua non nisi in crassis quodammodo prodit. Sanat hominem, morbosum quid tollit, et missò igitur omni ratiocinio, missa omni anxia quaestione, an sit proxima aut remotior aut qualiscunque alia, quam tollit, caussa, an illam ipsam auferat, cuius remotione vere optimus, quem attingere modo licet, impetretur finis? plenariam potius ipsi fidem habeamus, vere therapeuticas caussas sese nosse statuentes. Has itaque inveniendi, haec nobis prima eaque optima via semper habeatur. Similem nempe ægritudinem observantes vel naturæ operem feramus motus iamiam molienti salutares, vel ea ipsa arte tollamus, quae olim naturam sustulisse observavimus, certissime confisi, caussas vere therapeuticas nos ita esse sublaturos. Vidimus in febre inflammatoria haemorrhagi-

am



am a natura benigne excitatam, in biliosis morbis vomitum spontaneum saluberrimo cum eventu enatum; observavimus similia in aliis multis morbis benigna naturae in aegri salutem conamina. Venaesctione itaque, emeticis aliisque remediis imitati feliciter sumus naturam, et veras certe, si modo boni fuimus imitatores, caussas therapeuticas sanavimus. Quod vero quidam monuerunt, ita naturam imitando aequa plane salutares mutationes non semper a medico obtineri posse, quas a natura, cum ipsa sola omnibus viribus aegri salutem molitur, observare solemus, tantum abest, ut negare audeam, ut addere potius non sine irre mihi posse videar: præstare subinde, non ita in nimis pro peranter instituenda naturæ imitatione, sed in prudenti potius ipsius naturae conaminum exspectatione, aegrotantis quæ rere summam salutem. Hoc vero minime supra dicta refelli posse per se patet. Hinc itaque nunquam satis laudari poterit sedula naturae contemplatio, quid moliatur in fa nando, quid tollat, et quo modo? Hinc etiam illud assi dum antiquioris aevi medicorum studium, in observandis crisis collocatum! Minima quaecunque observatio de sanatione a natura ipsa instituta, gratissimo ac laeto medici

A 5



cuiuscunque animo accipienda est, vt hanc optimam magistrum in casu obvio feliciter imitari addiscant. Quis, quæso, et alius est rationalis medicinae ortus? Nonne vel solus in hac naturae observatione ac imitatione ponendus? Certissime. Sunt corpori humano vires, quae multis malis mederi valent, et vix quidquam iucundius aut elegantius excogitari in medicina potest, hac ipsa de viribus naturae medicatricibus doctrina, de qua tamen, quamvis ex nostris deliciis sit, et ad nostrum etiam quodammodo spectet argumentum, plura verba non faciam. Revocare modo in mentem opus fuit. Quem igitur varii isti naturae benignae salutares motus non fugiunt, cum mox materiae morbifcae loco idoneo excretionem, mox in loco minus nobili depositionem, mox aliam quamcunque in aegrotantis salutem vergentem mutationem moliantur; illi certe iam ex parte varietas caussarum patebit, quas natura vel sibi reliqua vel arte adiuta ad perficiendam sanationem tollere studet. Placet P. ALPINUS I) de natura morbos sanante differens, tanquam de hoste cum morbo pugnam iniente, et conve-

nien-

## I) De præagiend. vita et morte.

nienter satis, ni fallor, in ea qua vtitur, similitudine per-  
geres. Eo nititur felix eventus, quod singula tempora na-  
turae cum singulis morbi temporibus (cuius vtriusque ex-  
plicationem, si eges, apud Alpinum quaeras) semper con-  
gruant. Congruat, necesse est, temporis naturae augmen-  
tum cum attingendo temporis morbi; nunc pugna initium  
capit. Si natura in decursu temporum remansit, nunc vin-  
citur, sin vero in decurrentis suis temporibus, morbi tem-  
pora fideliter comitata ideoque simul cum morbo vigorem  
assecuta est, certissime vincit. Furit morbus in vigore con-  
stitutus, natura praefecto est, morbumque fugat. Saepius  
accidit vt fracta viribus suis natura tardiori passu sua tem-  
pora percurrens, morbi vigori demum succumbat; quid  
vero, an vnquam audiisti celeriori passu naturam morbo ab-  
soluisse sua stadia? Vel nunquam (crises enim circa sta-  
tum morbi accidere solent) vel si vnquam id contigit, cer-  
te tamen non impune id fecit natura (imperfectae fuere  
crises) ideoque et huius respectu illud ALPINI valere mi-  
hi videtur: necesse esse vt tempora naturae cum morbi tem-  
poribus congruant. Vides etiam, naturam semper defen-  
dantis, nunquam aggredientis vices agere opportere, vt

feli-



feliciter morbum vincere queat. Pari nempe passu, nec tardiori nec celeriori tempora sua percurrat et tunc tandem in vigore constituta surentem in suo statu morbum excipiat. Res tota, si a similitudine discedis, nititur crisibus, ad quas quidem prudens medicus, vbiunque modo illas autumare et exoptare licet, secundum veterum praestantissima præcepta respiciet, *omniaque quae istas impedire ac villo modo turbare possunt, ad caussas referet therapeuticas.* Est vero proh dolor! non vbiique expectanda crisis. Vigent non semper satis in acutis morbis vires naturae, varia sunt quae crises turbare valent; in chronicis denique morbis similes modo salutares motus, sed lenta ratione excitare benigna natura potest. (Quod enim in omnibus chronicis morbis plurimi medici eam plane non agere dolent, inanis querela est; debilis, sed benigna tamen natura est.) Erit itaque necesse, ut ad alia etiam respiciamus, caussas therapeuticas investigaturi. Comparabo itaque hanc caussarum determinationem cum aliis, quod, ut convenienter satis peragere queam, cum ambigua nec constans medicorum descendit ratio esse soleat, generalia quaedam pathologica aliasque caussarum determinationes praemittere, non alienum erit.

erit. Ne vero crambem centies recoctam proferam, licet mihi quam brevissime omnia attingere, id semper responsive, an ad therapeuticam caussarum determinationem, infra magis evolvendam, facere aliquid valeant,

Aegritudo, morbus, caussæ, symptomata, vere distinguuntur. Morbus sibi internam C. H. viventis conditionem vindicat, qua functiones laeduntur. 1) Aegritudo, morbum caussas et symptomata comprehendens, status hominis dicitur quatenus aegrotat. Videbis vero malle me caussas therapeuticas ut aegritudinis quam morbi caussas spectare. Bene distinguunt inter caussas proximas et remotas. Proxima sufficiens est morbum producens. Ad remotas, praedisponentes et occasioales referuntur, quarum illae tibi rationes possibilitatibus, hæ existentiae morbi rationes præbebunt. Seminia et naturalia (propria, et communia) & praeternaturalia praedisponentes caussas absolvunt. Notissima est differentia inter caussas exteras at-

que

1) Confer. R. PATRIS Diff. de morbi et symptomatis notione vera.

1759. Halæ.



que internas. Loquuntur alii de caussa morbi materiali ac formalis. Ilam latiori sensu accipiunt, et quod addere solent, cardinem curationis in tollenda caussa materiali versari, facile putare posse, therapeuticam caussam me potius nomine materialis insignire potuisse. Minime vero. Primum enim formalis nonnunquam therapeutica est, deinde vox materialis caussae, nimis lato sensu sumitur, quam quod multa de caussa therapeutica dicere potuisse, si illam materialem esse statuerem. Apud alios denique alio sensu materialis caussae nomen accipi notissimum est. Ludunt pro lubitu pathologi cum multis caussarum differentiis, quas mitto, cum dissentiant saepe in verbis, convenient non raro in re. Aliae autem circa causas supersunt determinationes, quarum partem, quod ad intelligendas therapeuticas faciunt, huic paragrapto adhuc inferere in animo est, praemissa hac leviore animadversione. Intercedit differentia inter rationem et caussam, id quod non temere moneo, huius illiusve subtilioris controversiae bene memor, ex sola hac differentia neglecta ortae. Absit a medico, in subtili, scholastica, inutili philosophandi ratione querere voluptatem; nobis igitur, cum de causis pathologi loqui mur,

mur, de physica facta mutatione corporea sermo est; mor-  
bificum quid inest corpori, aut in corpus agit, et caussa  
itaque semper est ens in concreto, ratio ens in abstracto.

1. Est nonnunquam una modo caussarum series in aegritu-  
dine praesente, aliis vero in casibus plures adsunt. 2. Seriem  
caussarum ita nonnunquam comparatam esse invenies, ut  
secunda a prima, illa a tertia etc. dependeat, orta nempe  
sit et alatur, sublata igitur prima tollatur altera, et sic  
porro; nonnunquam autem causa quae olim egit, damnum  
aliquale produxit, aegritudinis caussae munere fungens, nunc  
vero non amplius agit. Hinc differentiam scias promanare  
remotarum caussarum, notatu dignissimam. Vel adhuc  
nunc temporis agere pergunta, vel non. In ultimo casu  
ortae sunt caussae aegritudinis, quae tollendo eas primas  
morbificas conditiones a quibus profectae sunt, tolli ne-  
queunt, suntque permanentes. Plura de his infra.

## §. 6.

Iam vero proprius nos ad evolvendam caussarum the-  
rapeuticam determinationem accingamus. Id vnum adhuc  
moneo, vt ne quis mihi vitio vertat, quod in insti-

B

tuen-



tuendis huius cum aliis differentiis comparationibus asserta quedam occurrant non vobis et omni respectu verissima. Sciat enim, me in comparatione modo ad duas res, quas comparationi submitto, spectare. Hinc oriuntur asserta, quae quidem valent cum ad utramque rem quam comparavi, respicias, non semper vero, si ad alias. Esse vero et ad alia respiciendum, nemo me certe vividius sentit, id quod etiam ex sequentibus patebit. Generalia itaque de caussa therapeutica asserta vobique et omni omnino respectu valentia tunc tandem exspectari poterunt, cum huius caussalis differentiae comparatio non solum cum reliquis aliis, sed etiam cum omnibus, quaecunque modo aliquid ad sanacionem feliciter absolvendam conferunt, conditionibus, instituta fuerit.

## §. 7.

In comparanda autem therapeutica caussarum determinatione cum aliis, nulla harum nobis illa gravior esse potest, qua vel proximae dicuntur vel remotiores. Huic igitur comparationi multo vberius quam aliis omnibus inhaerendum erit. Quae igitur sunt caussae therapeuticae? an proxima? an remotae? et si haec, an praeternaturalia aut



naturalia morborum seminia? Proxima cuique statim in  
mentem veniet, ut exoptata therapeutica. Illa enim su-  
blata tollitur morbus, et quem sibi medicus finem in qua-  
cunque aegritudine graviorem assequendum eligere posset,  
quam ipsam morbi sanationem? Quae itaque sunt, quae nos  
impediant, quo minus proximam caussam semper therapeu-  
ticam habeamus? Per multa inquam. Latet saepissime caussa  
proxima; non latens saepe sanari non potest, et quod deni-  
que maximum est, quamvis medico cognita sit ac ipsam  
etiam admittat sanationem, nihilo tamen <sup>4</sup>minis nonnun-  
quam caussa therapeutica esse nequit, idque in hoc quem  
nunc laudabo casu frequentissimo. Proxima nempe caussa  
nonnunquam non latens, sanationem etiam admittens, ne-  
que, paullulum adhuc perdurans, mortem statim illatura,  
si tollitur, mox iterum a remotioribus caussis non sublatas  
gignitur, et sub his igitur conditionibus caussa therapeutica  
non semper esse potest. Quis enim illum finem in genere  
praestare negabit, tollere ita morbum ut revertere nequeat,  
nisi plane novis obortis caussis, quam ad tempus modo ae-  
grum a morbo certe reddituro liberare? Illum autem impe-  
trabis finem, remotiores omnes caussas tollens, reliquis

conditionibus, de quibus postea sermo erit, non obstantibus. Saepius etiam morbum, crede mihi, sublata sola cauſa proxima redire tamen videres, niſi remedia tua, quibus folam cauſam proximam tollere tibi videris, cauſas simul remotiores sustuliffent, aut niſi ipsa natura remotioribus postea ſeſe liberaffet. Qui quidem vterque cauſus locum habere potest. Ut itaque cauſa *proxima* therapeu-tica eſſe queat, quot et quam raras nonne conditiones, qua-rum plures et feliciter conſpirare debent, fingere debes! *Pa-teat* neceſſe eſt; *admittat sanationem*; *non recurrat a non sublatis remotioribus cauſis*, qui-bus, ut ex ſequentibus patebit, haec accedunt: *mortem in-ferat*, *ſi prius remotiores tollere ſtuderes*; *cauſae re-motae tolli nequeant*; *cauſa proxima non dependeat ab aliis adhuc agentibus remotioribus cauſis praeter-naturalibus*. His itaque conditionibus, aut certis qui-busdam ex his praefentibus, proxima cauſa, therapeutica eſſe poterit. Erit itaque raro, nec igitur eſt, quod eam in facienda medicina tanti ut fieri ſolet faciamus. Eſſe vero nonnunquam vere therapeuticam, ipſius naturæ, epi-lepticum paroxysmum ſanantis exemplo, probare poſſem.

La-

Latet enim in hoc paroxysmo caussa proxima sine dubio in nervorum systemate, ideoque natura, cum remotiores caussas tollere nequeat, ita motus suos dirigit, ut, orta summa anxietate, suffocatione iam imminente, mutationem producat in nervoso systemate, quae cum illa, quam caussa proxima in eodem systemate necessario sibi vindicat, coëxistere nequit, adeoque ipsam aggrediatur caussam proximam, hanc ut ita dicam therapeuticam sibi sumens. Quid vero statuendum erit de *remotioribus* caussis? Hae certe, ut mox patebit, multo magis illa proxima medico curae erunt cordique. Minus a veritate aberrares, si remotissimam quam proximam caussam therapeuticam esse statueres, cum illud hoc multo saepius contingat. Ponamus itaque remotissimam esse therapeuticam caussam, et quae falsa ex hypothesi sequuntur, ea ipsa nos ducant ad veritatem. Fac:

I. Seriem esse caussarum, quarum una semper ab altera dependeat. (v. §. 5. n. 2.) Remotissimam tollendo certe omnes auferentur. Est ita nonnunquam in corpore humano. Ergo nonnunquam certe valebit, remotissimam esse tollendam. Quae vero sunt remotissimae? Praedisponentes naturales. An itaque hae tollendae? Tol-

litur inde vere morbus, simul vero proh dolor vel ipsa vita perit vel partis functio. Medici autem non modo est, tollere morbum, sed sanare. Quid ergo ab hoc scopo magis alienum videri posset, quam vel ipsa naturalia morborum feminia tollere, quibus et ipsa vita nititur, et sanitas? Nihil tamen minus haec *naturalia morborum feminia* ex classe causarum therapeuticarum non omnino proscribenda sunt. *Quod si nempe feminia praeternaturalia vel plane non, vel non nisi simul sublati naturalibus, tolli queant, secundum vero quocunque naturale salva vita tolli, certe ad tempus, potest, hoc tibi sit causa therapeutica.* Hanc quidem regulam ex parte observari a medicis, in usu opiatorum, in amputatione, extirpatione, nervi discissione etc. nonnunquam videre licet.

## §. 8.

Quibus vero *naturalia morborum feminia* difficultatis premi videbamus, ea non cadunt in *praeternaturalia morborum feminia*, et haec itaque optime forsan causas nobis sistere poterunt therapeuticas. Nec aliter rem se habere rite instituta te docebit meditatio. Ita enim valet, ut regulam plerumque observandam suis tamen exceptionibus non superiorem habere queas: *tolle cauſam remotissimam prae-*

*praeternaturalem*, haec enim est therapeutica. Videamus nunc, quibus limitanda sit haec regula conditionibus, vt tandem generale exinde assertum deducere liceat. Ea est saepius morbi natura, vt citissima sanatione opus sit, ne vel ipse mortem inferat, vel alium morbum, vitae mox infestum, producere tempus ipsi relinquatur. Illa vero morbum tollendi methodus, qua remotiores caussas tollere studes, quamvis ideo laudanda sit maxime, quod ceteris non obstantibus morbum ita auferre solet, vt non nisi plane novis caussis obortis redire queat, hac tamen premitur difficultate, quod satis cito rarissime obtineri potest; nec igitur in casu laudato valebit. *Vbi ergo mortem aegritudo mox subsequentem minatur, neque tempus tibi ad removendas caussas remotas relinquitur*, tuum erit, methodum quamvis in genere minoris faciendam nunc tamen necessariam eligere, hoc est, ad proximam caussam si fieri potest tollendam vitamve conservandam respicere. Rem ita se habere videbis in febribus intermittentibus sic dictis malignis. Nullus certe prudens medicus in sanandis febribus intermittentibus, praesente adhuc praeternaturali caussa remotori, nec urgente vitae periculo, ad proximam caussam

ianandam statim cogitabit, hoc est, Corticis Peruviani vsu certe abstinebit, et remotiores contra caussas resolventibus atque evacuantibus remedii prius vincere omnem operam navabit. Vitae autem periculo urgente, quod quidem in malignis intermittentibus febribus contingere constat, contrariam viam ingreditur; primo nempe loco Cortice Peruviiano proximam caussam tollens, remoto demum periculo alias caussas sanaturus. Hoc unum erat. Accedit, quod iam ex superioribus, certe ex parte, patet. Fac nempe *remotiores praeter naturales caussas sanationem non admittere*, tunc primum certe requisitum deest, quod cuique, quam therapeuticam esse enuncio, caussae competere debere tacite semper suppono. Hoc itaque in casu fugendum erit ad naturalia seminia, quibus simul saepe praeter naturalia auferuntur; illis vero sanationem respicientibus vix quid agas superest; caussam enim proximam si et tollere posses, iterum tamen illam remotiores gignere et alere possunt. Tertio loco monendum est, *si forte in remotissimam praeter naturalem caussam, quas laudavi, conditio- nes caderent, minus remotiori autem obstante, hanc tibi sumendam fore therapeuticam.* Quartum denique

denique locum conditio hic sibi vindicat, quae quidem misericordia regulam nostram de remotissima praeternaturali caussa pro therapeutica habenda perturbabit. Subinde enim accidere solet, ut remotissima aegritudinis caussa praeternaturalis vel alia quaecunque remotior quae olim egit, nunc absit, vel, quamvis adsit, vim suam morbificam quasi exuerit. Orta hinc est singularis quaedam caussarum species. Nocivos nempe edidit suos effectus remotissima caussa. Hi adhuc perdurant, suis certe rationibus non destituuntur, caussas vero, easdem, a quibus profectae sunt, nunc adhuc agentes minime agnoscunt, ideoque harum remotione tolli nequeunt, cum salutaris quaecunque, cuius finis in aegritudine sananda versatur, caussarum quae morbum produxerunt remotio, semper in removenda re nunc temporis adhuc noxia sine dubio posita sit. Nocivi eiusmodi in serie factarum mutationum determinati effectus nunc aegritudinis sunt caussae, eaeque permanentes. Jam vero plane alienum ab eo, de quo hucusque differui, statum adesse vides; non enim secunda quaevis caussa in priori fundata est, neque sublata hac tolli potest. Mox vero unus modo eius generis nocivus adest in aegritudine effe-

Etus, mox plures obveniunt, si ad omnes in statu morboſo factas mutationes respicias; intercedere enim huc et illuc potest una alterave permanens cauſa. Distinguamus itaque hunc statum, et in

II. casu, *vbi permanentes cauſae obortae ſunt*, quae nunc nobis therapeuticae cauſae munere fungi queat, indagemus. Exempla vero vel absentis vel non amplius agentis cauſae remotioris, ac determinati inde nocivi effectus, ortaeque cauſae pérmanentis invenies in plurimis continui solutionibus, in inquinata a putrida primis viis olim inhaerente materia mafsa humorum, et proh dolor! in plurimis omnino aegritudinibus. Eſt enim animadverendum, nobis rem quam ſaepiſſime eſſe cum cauſis aegritudinum permanentibus, multo rarius cum aliis. In auxilium enim vocati editos iamiam a remotioribus cauſis nocivos effectus invenimus. Definitionem vero permanentis cauſac vide in §. 5. fine. Quae cum ita ſeſe habeant in aegritudine, non ita arctiſſimo, quo in priori caſu, vinculo ſingulas cauſas nexas habebis, id quod ipſam ſanationem nunc reddit multo certe diſſiciliorem. Quaeritur: qualis nunc nobis ſit cauſa therapeutica? Arduum eſt, ita respondere, vt vbi-  
que

que valeat responsio. Distinguendum iterum est hoc et illud. *Primum* hoc esto: si vna modo adest permanens *caussa*, haec tibi sit therapeutica, si plures, omnes erunt therapeuticae. Ne multa, primo loco nunc inhaerendum erit ipsis permanentibus *caussis*, quarum quidem remotione inititur aegrotantis salus. *Deinde* vero, cum impedimenta alia adsint, huic remotioni aduersa, auferas haec, ea que si placet nomine *caussarum* therapeutarum insignias. *Tum* vero multa in determinanda *caussa* therapeutica et in hoc casu 2do valere quae in primo audiisti, si modo ab iis difcesseris, quae de feliciter tollendis remotissimis praeternaturalibus dixi, facile perspicies. Ut vnum attingam, virginete periculo, *caussa* permanente vel plane non, vel iusto tempore haud sanabili, quid est quod non fugias ad removendam proximam, si quidem haec sanationem admittat? Orta igitur quacunque *caussa* permanente

1) hanc ipsam tollere studeas, *quod si fieri potest,*  
*haec ipsa erit therapeutica.* Scias vero, ali nocivos illos effectus atque foveri seminiis ipsis morborum naturalibus, effectus puto a *caussis* olim agentibus remotis obortos; quae quidem seminia, ut exactius  
omni

omnia determinem, non produxerunt illos effectus neque nunc tam *agendo* quam potius *non agendo* nocent, ne multa, pertinere haec naturalia seminia ad rationes potius quam ad caussas aegritudinis, statuere debes. Iam igitur,

2) *ipsa permanente causa non sanabili si salva vita fieri potest, neque maius inde oritur malum, ipsa naturalia seminia tollas, eaque.* vt placet, *caussas aegritudinis therapeuticas habeas.* Vides, vt hoc incidenter moneam, & pluries videbis, quoties nobis ad remotiores caussas refugiendum sit.

3) Eorum, quae impedimento esse possunt, quo minus ipsas permanentes caussas auferre queas, mentionem iam feci, *eaque nunc sistent therapeuticas.*

4) alia adhuc, si haec omnia minus valent, ingredienda est via, qua vel remotionem permanentis causae impetrabis vel nocivum hunc iam determinatum aegritudinis effectum ita coerces, vt in nocendo certe pergere nequeat. Viam nempe ars ingreditur illi ex adverso respondentem, quam causae, quae olim agentes aegritudinem effecere, ingressae sunt; ac tali quidem ratione ars edit effectus salutares, ipsis a causis morbos oppositas. Injuries corpori illa.

illatas ars tollit. Hoc modo reunire studes vnitatem solutam, ortam iam sanguinis resolutionem a putrida primis viis inherenter materia antisepticis etc. corrigis, et sic porro. Erit tibi in hoc casu vel *permanens ipsa*, causa therapeutica, vel sistent hanc omnia alia, *quaecunque tibi in ingredienda illa quam laudavimus via impedimento esse possunt*, quorum in numero iterum remotissimas saepe causas habebis.

5) Ut vero unam adhuc legem adiicere liceat, cui, praesentibus caussis permanentibus, therapeutica causa adstricta est, animadvertisca quaedam de illa caussarum differentia supersunt. Remotiores nempe, ut saepius iam dixi, causae noxios suos edidere effectus, quibus quidem certo respectu propriam quasi nocendi vim ita communicarunt, ut nunc evanescere queant, effectus vero quos reliquerunt, aegritudinem non dicam producere aut caussari, sed fovere pergent. Fundatae quodammodo sunt permanentes causae in seminiis morbi naturalibus, ideoque vel harum remotione vel per se tolli possunt. Erit, ni fallor, *quaecunque aegritudinis permanens causa verus morbus*. Vindicat enim sibi internam corporis humani conditionem

qua



qua functiones laeduntur; morbosam mutationem sistit partium vel fluidarum vel solidarum, per se nunc existentem, aut in ipsis naturalibus seminiis fundatam. Iam vero notandum est, vel in ea ipsa causarum serie, qua permanentes causae intercedunt, remotiores tamen causas, a quibus permanentes ortae sunt, therapeuticas esse posse. Eo nempe respectu hoc valet, quod quidem harum remotione minime tollitur per se aegritudo (tunc enim non aduersent permanentes causae) sed minui, leniri, sisti inde poterit malum, quo quidem non raro optimum finem contineri constat, quem obtinere potes. Observanda autem est, ut hoc clarius intelligi possit, permanentium causarum differentia. Causae nempe remotiores morbificae quae permanentes effecere, duplcem ad has habent rationem. *Vel* scilicet plane non amplius agent in aegritudinem absentes sunt, (gladius e. g. qui solvit unitatem) *vel* praesentes quidem adhuc sunt, non vero ex toto amplius, ut olim, aegritudinem caussantur, quod quidem haec nunc ex parte dependet a permanentibus causis, quas produxere remotiores. Hoc itaque in casu lex valet: *Permanentis causa et ipsae adhuc ex parte agentes remotissimae aegri-*

*aegritudinis causae, compositam tibi sicut sunt therapeu-  
ticam causam* (v. §. 13.) Hae enim, quamvis quidem  
permanentes causas non plane sustineant, augere tamen  
illas poterunt, ideoque sui remotionem a medico pratico  
postulant. Hinc igitur haec permanentis causae differentia.  
Vel *permanens* (strictè sic dicta) erit, cuius causae morbi-  
ficae, a quibus profecta est, plane non amplius in aegritu-  
dinem agunt, vel *ex parte permanens*, siquidem ex parte  
modo a remotioribus istis causis dependet, illis augetur  
etc.

**III.** *Si plures ad sunt causarum series, de sin-  
gulis idem valet, quod n. I. et n. II. monuimus.* Erunt  
autem in hoc casu *plures* semper causae therapeuticae. Sunt  
quasi a diversis locis profectae et coniunctis viribus nunc ip-  
sam procreant aegritudinem.

Comparata igitur therapeutica causarum determinatio-  
ne cum illa qua vel proximae vocantur vel remotae, omni-  
bus bene perpenitis, statuendum erit hoc. Nulla praesente  
permanente causa, *therapeutica* erit remotissima practer-  
naturalis nunc adhuc agens citius causam proximam, mox

MO-

mortem illatura, sanabilis aegritudinis caussa. Praesente autem permanente caussa, haec erit therapeutica vel sistent hanc alia quaecunque vlo modo huius remotioni adversa sunt. Quid quod, si caussarum notionem strictiori sensu admittere velis, vt eas, quae amplius non agunt ex classe caussarum proscribas, ne quidem hac distinctione opus esset, ac illud primum nostrum assertum vbique valeret. Fac enim adesse permanentem caussam, aliarum quae olim egerunt caussarum quid est quod adhuc mentionem facias? Illam enim ipsam permanentem caussam aut quaecunque ipsi removendae obstant iure meritoque *remotissimas* quae nunc *superfunt* caussas vocabis. En itaque generalis, quae primo semper loco valebit in sanando regula: *Remotissima pateraturalis, adhuc agens, citius caussa proxima, mortem minante, sanabilis aegritudinis caussa, therapeutica esto!* Iusta huius regulae et explicatio et limitatio patet ex praecedentibus ut et ex iis, quae sequuntur.

## §. 10.

Malle me dixi (§. 5.) caussas therapeuticas, *aegritudinis* quam *morbi* caussas habere. Liceat vero te hic

mo-

monere, ne hoc neque alia de modo quo illas causias concipiendas esse statuo dicta, tanquam subtiliora neque omni omnino respectu verissima statim reiicias. Bene enim rerum humanarum naturam perspiciens id mihi certe dabis, rarissime, quid quod nunquam nostras cogitationes obiectis quoad omnes omnino determinationes exactissime respondere. Cum explicationi phaenomeni in physicis aut cuiuscunque veritatis studes, quid quæso facis? Nonne principia, aut phænomena, quorum nunc obscura tibi idea est, ad ea reducere studies quae minus obscura, quae clariora sunt? aut potius rem omnem explicando exhaustire tibi videris? Verum est illud, ac decet Philosophum quærere, qua ratione res ita cogitare queamus, ut maximus inde nobis usus redundet, minime vero strenui philosophi partes agere, et, an omni omnino respectu idea de re quadam concepta huic ipsi respondeat, anxie meditari. Absit maxime in medicina vana iactatio, rerum essentiam penitus nos perspexisse, ac eas potius de statu morboſo ideas concipiendas esse sancta lege nos accingamus, quae in promovenda aegrotantium salute ducere nos valent. Redeamus ad rem. Notissimum est, urgere nonnunquam in aegritudine quæ-

C

dam



dam symptomata, citius sui quam morbi remotionem postulantia.<sup>ind</sup> Alio vero in casu ipse morbus tollendus est qui quidem non raro permanentis caussae munere fungitur.<sup>fin</sup> Tertio denique in casu veram morbi caussam removebis. Huic accedit quod in auxilium vocatus totum morbosum statum considerans plurimas factas mutationes offendis, quarum quaedam veri sunt morbi iisque saepe plures, aliae symptomata, aliae verae morbi caussae. Cupis vero hominem a tota aegritudine liberare, respicis ideo ad caussas therapeuticas, quae cum positae sint mox in vero morbo mox in eius caussis mox in symptomatibus, quid quæsto esset, quod ut morbi non aegritudinis caussas speclares? Errares; falsa enim haec tibi esset cogitatio, in removenda aegritudine semper ad caussas morbi stricte sic dictas tollendas respiciendum esse, nec in illa alia re auferenda prudentis medici finem contineri. Quod quidem si ut nimis subtiliter enunciatum audire nolis, suadeo tibi; ut, in quaerenda *caussa therapeutica*, morbi quasi obliviscaris ad aegritudinem totam respiciens. Habes ita sine dubio utiliorem de caussa therapeutica notionem. Quod si enim et a stricte sic dictis *morbi caussis* plane discesseris, multa tamen

super



supersunt, quae ad totum aegroti status ambitum suum conseruant, sive remotionem postulant. Erit etiam hoc tenendum, esse, ut, cum de caussis aegritudinis therapeutis loquimur, non solum ad praesentem sed etiam ad praeteritum et ad futurum morbosum statum nonnunquam respiciamus.

## §. II.

Si in caussarum serie quaedam invenitur, quam hucusque laudatae vel aliae de eruendis therapeutis caussis quaecunque regulae therapeuticam esse ponunt: nunc triplici modo felicem medici actionem admittere potest. Vel scilicet tolli ipsa potest, vel coerceri, minui, vel denique (quod in permanente caussa accidere solet) immediatam in sece actionem quidem non admittit, mediataam forsitan non respuit (v. §. 8. n. 4.) qua noxii eius effectus tollantur, praeveantur. Opponitur quasi resistentia. Damnum enatum compensationem concedit et correctionem. Quae quidem triplex salutaris eius qui medicinam facit in caussam morbificam actio, nisi ita sece haberet: multo rarius quam enunciavimus quaecunque quidem caussa, in primis vero

illa proxima, therapeutica esse posset. In febre intermit-  
tente orta solo terrore alove animi pathemate Corticis Pe-  
ruviani vsu nervorum mutationem moliris, illi adversam, quam  
quidem proxima cauſſa, quae in hoc casu et permanens est,  
in nervis sibi vindicat. In repositione herniae eius contra-  
rium moliris, quod morbificae factae mutationis cauſſae ef-  
fecerunt, et sic porro. Valeant haec in quocunque casu,  
quo hanc vel illam cauſſam therapeuticam esse dixi, ne re-  
petitio fiat et superflua et taediosa.

§. 12.

Multa sunt, quae ex hucusque instituta meditatione  
deduci et explicari possunt, quibus et dicta confirmari, et  
alia ad morborum sanationem spectantia illustrari videbis.

I. *Cauſſa therapeutica ita facillime ac certiſſi-  
me eruitur* (aliis verbis, ita facillime aegritudo tollitur)  
*ut maxime valent ſequentes vel omnes vel plures condi-  
tiones;* et contra, eo difficillior evadit aegritudinis remoſio,  
quo magis illa a ſequentibus abhorret conditionibus. a.) Sim-

plex

Iex, vna adest caussarum series, b.) Nunc adhuc ex toto agunt caussae; permanens nulla oborta est. c.) Remotissimae præternaturales caussae externae sunt; facile tolluntur; impedimenta nulla. d.) Caussa proxima, antequam letalem causatur aegritudinem, vel remotiorum caussarum vel sui ipsius sanationem concedit. e.) Caussa proxima permanens non est f.) Ceterae quae ad therapeuticas caussas determinandas faciunt conditiones (de quibus infra) locum non habent, vel non obstant. Quae quidem omnes conditiones vbi valent, sanatio facilissima, vbi plures desunt difficilior, vbi vel omnes, difficillima, vbi omnes, nulla est medela. Posse ex his singulis multis constitui regulas, facile perspicitur, quarum vero enumerationi non minus supersedeo, quam taediosae rei multis exemplis illustrationi. Brevisime vero quedam attingere lubet, quae et ex' alio quam illustrationis respectu digniora videntur, quorum fiat mentio. Habes non ita raro exemplum caussae proximae permanentis. Febris intermittens, quamvis a materiali caussa \*) profecta sit, diu-

C 3

que

\*) Materialis vero caussæ nominem eo sensu a me accipi scias, vt, minime formaliter illam opponens, quamcunque morbosam nocentem materiam, sordes v. g. collectas in primis viis, ea intelligi velim.

que ex ea haurierit quasi alimentum, cum longo tempore hominem infestat, eam tandem induit naturam, ut, vel ipsa nunc profligata caussa materiali, minime tamen ipsa febris cedat. Quare? quod proxima febris caussa permanens facta est. Agebant caussae remotiores, proxima in iis plenarie erat fundata; longius vero agentes perniciosos eos in corpore humano procrearunt effectus, qui nunc ipsa aegritudinis caussarum munere fungentes illam sovere pergununt, quamvis mutatis vel absentibus caussis, quæ aderant, remotioribus. En ecce! Citius etiam hæc nociva remotiorum caussarum sequela contingere poterit, si quidem non longe sed gravissime statim comparentes egerint. Ita res se habere potest, orta febre intermittente ex animi gravi pathemate. Hac vero oborta conditione, nonne sanationem ut dixi difficultorem invenies? Accidit quidem in hoc peculiari quod casu primum in mentem venit exemplo, quod divino illo remedio, Cortice nempe Peruviano, vel ipsam permanentem caussam proximam tollere, in tua plerumque sit potestate; quid vero, si eiusmodi cares remedio in casu quoad cetera laudato simillimo? Eadem nempe ex ratione epilepsiam a vermis ortam, si per longius temporis spatium mi-

serum

serum aegrum tentaverit, non semper anthelminticis sanabis, quem quidem finem in principio morbi impetrare forte datum fuisset. Nunc enim superstes est causa proxima permanens redditus, sive ipsius poscit, eamque certe non facilem, remotionem. Idem omnino valet, si gravissimo ac violento quasi modo quamvis non longo tempore vim suam exercere potuerint causae remotiores. Evanuit e. g. animi pathema, ut causa epilepsiae remotior; ad hanc tollendam quis cogitaret? violenta vero ratione permanentem reliquit causam; & medela sine dubio difficilima.

## §. 13.

**II.** Facile inde perspicis, *quid sit, quod morbi quidam, vii habituales etc. aegre sanationem admittere soleant?* Ob determinatam vel unam vel plures causas permanentes. Eadem est ratio, cum morbum symptomaticum in prothopaticum degenerare vides. Fac, brachii paralyso ex colica saturnina ortam esse, nunc vero, ut fieri nonnunquam solet, noxiā intestinis materiem eliminari, paralysis illa a morbo quidem magis composito profecta est, hinc morbi symptomatici nomine digna omnino esset, nisi

nunc evanisset ille morbus, adeoque paralyfis, quae symptomaticum antea morbum constituit, nunc prothopatici induisset naturam. Habes in hoc et in alio quocunque symptomatici in prothopaticum mutati exemplo, permanentes aegritudinis cauſas, a quibus quidem practicum tuum negotium ſemper difficultius reddi observabis. Caveat igitur ubi potest medicus, ne in prothopaticum transeat symptomaticus morbus. Quae vero de permanentibus cauſis, ſi, quae fit therapeutica cauſa, quaeras, statuenda eſſe ſupramonni, ea ſingula nunc ad morbos habituales prothopaticos etc. applicare poteris. Hinc etiam vel cuiuscunq; morbi facilior in principio fanatio. Ob nullam enim determinatam permanentem cauſam, remotissimae praeter naturales cauſæ (ſecundum illam generalem §. 9. regulam, quae vbiq; modo ſatisfacere illi potes aliis praferenda eſt omnibus) feliciter removeri queant. Quid quod! veriſima fuisse haec noſtra de therapeutica cauſa aſſerta, ita maxime perſpicies ut longiſſime in cauſis remotis progrediens illam regulam extendis. Quid, quaefo, eo ſaepius negotio facilius, quo morbum vel in ipſo ortu ſuffocare vel nondum praefeſatem avertere ſtudes? Quae quidem faciens

quas

quas tollis aegritudinis caussas? Illas, inquam, quae vix aegritudinis caussae sunt, aut si appellare ita placet, quod tamen eas ut futurae aegritudinis caussas bene spectare potes, remotissimae sine omni omnino dubio erunt. Exempla innumera sunt. Hinc diaetetics summa utilitas. Ad remotissimas enim aegritudinis caussas respicit. Quod et in ipsis morbis applicationem largitur, parte nempe sanitatis semper superstite, quam conservare opportet. Quo quidem id etiam quodammodo impetramus, ut vel in eo casu, quo non remotiores sed proximas caussas mortem minantes therapeutas esse opportere supra statui, dicere nobis nunc licet, nos ad remotiores tamen in sanando caussas respicere, quippe qui partis sanitatis superstitis curam habeamus. Vbi denique nihil omnino eruere vel tollere potes, quocunque corpori inhærens huic noceat, ad remotissimas tamen res animum advertis, quae quidem nondum agunt in aegritudinem, admissæ vero illam augere possent. Ut vnum attingam, diaetae vitia avertis. Ne multa, remotiorum causarum in sanando dignitatem vel ubique invenies egregie confimatam,

**III.** *Ipsius caussae therapeuticae differentiae quædam* e dictis nunc patent, quibus et aliae accedunt, quas quidem constituere duae suadent rationes; prima, quod manant e dictis, vere existunt, ideoque notatu non indigna videntur; altera, quod brevitas inde et claritas in dicendo obtinetur.

1.) Accedit nonnunquam in aegritudine, ut medicum ad impetrandum optimum finem ad plures res easque simul et simili gradu vrgentes respicere opporteat, hoc est, sunt ipsi subinde plures caussae therapeuticae simul vrgentes. Aliis vero in casibus vel vna modo, vel, si forsitan plures, hae tamen non pari ratione vrgent, sed vna post alteram, salvo optimo fine, sui concedit remotionem. Plures simul et pari omnino ratione vrgere posse therapeuticas, ex eo iamclare perspicitur, quod plures nonnunquam caussarum series locum habere diximus. (§. 7.) Accedit, quod in valde complicata aegritudine plures sic dictæ permanentes caussae obvenire queant, quarum singula quaevi sanationem postulat. Habebis itaque *caussam therapeutican* vel *compositam*

vel

vel *simplicem*; *hanc*, cum vel una cauſſa vel si plures, hae tamen non vno eodemque tempore ſui exigunt remotionem; hoc autem, vbi valet, *illam*, nempe *compositam*.

2) In vtroque caſu iterum vel *vnam* habebis vel *plures*, quas numerare licebit *primam*, *secundam*, *tertiam* &c. Cum nempe ſimplices cauſſae therapeuticæ non uno eodemque tempore ac iure ſanationem poſtulent, una ſaltim magis altera vrgebit; *illam* igitur huius respectu primam, hanc *secundam* nominabis. Ita e. g. in bilioſa aegritudine prima tibi cauſſa eaque *ſimplex* therapeutică eſſe poterit, *immobiles ſordes*, *secunda*, *ipsae ſordes mobiles praefentes*, quarum primam *reſolventibus* etc. alteram *evacuantibus* ſanabis. Simile quid locum habet in *composita cauſſa therapeuticā*. Duae aut plures res ſimul quidem therapeuticæ ſunt, his vero iterum duae ſuccedere poſſunt, illis prioribus ſublatiſ, ſanandæ. Erit itaque et *composita cauſſa therapeuticā*, nonnunquam *prima*, *secunda* etc. Quae vero ſint *conditiones*, *quibus vel simplex vel composita cauſſa therapeuticā oboriantur*, patere ex antecedentibus mihi videtur. Quaerere nempe tuum eſt,

an



an vna pluresve adsint caussarum series? an permanens  
 caussa locum habeat nec ne? et sic porro. Quo autem  
 nititur fundamento *numerus* caussarum vel simplicium vel  
 compositarum? Ita statuendum est. Si vna modo cau-  
 sarum series spectanda venit, earumque vna semper in altera  
 existentiae suae rationem agnoscit, nulla itaque oborta est  
 permanens caussa, ideoque therapeuticam tuam caussam  
 secundum illam §. 7. regulam constituisti, neque igitur  
 proximam prius caussam tollere tuum fuit, (ubi duas for-  
 tas haberes therapeuticas caussas, primam proximam,  
 alteram remotiorem v. §. 7.) tunc tibi vna eaque simplex  
 erit therapeutica caussa. Eadem fere ratione vna sed com-  
 posita erit, siquidem plures caussarum series adsunt, aut  
 plures permanentes intercedunt causae, cetera vero omnia  
 simili, ac in casu nunc modo laudato, ratione sese habent.  
 Quae quidem si non valent conditiones, plures habebis.  
*Quae tandem prima, quae secunda sit* etc. ipsius ægritu-  
 dinis eiusque caussarum natura, periculi quod minantur  
 gradus etc. doceant.

3) Vidisti ex antecedentibus varias esse caussas, quas  
 in sanando aggreditur, qui facit medicinam, Generales  
 quasdam

quasdam constitutas legisti regulas. Vnam vero aliis, ceteris paribus, palmam præripere, vnam volo altera plus ad aegri salutem conferre facillimo ratiocinio eruitur. Quis est, qui non malit præternaturalia quam ipsa morborum naturalia seminia tollere? Qui tibi nunc dolentes nervi tantos edunt cruciatus, ut vel omnem sentiendi facultatem perdidisse malis, iidem quondam gratissimo voluptatis ac titillationis sensu animum tuum affecere, iterumque sufficient, sublata doloris causa. Valent similia in casu simili. Ast vero dira poscit subinde necessitas, vel naturalia tollere seminia, vel alias quascunque aegritudinis causas, quarum remotione suis non destituta est miseriis, atque molestiis. Causis itaque therapeuticis, quas quae circumstant conditones, eligere postulant, variam perfectionis gradum competere vides. Malum mox lenire mox tollere poteris, et quae tibi haec molienti obstant, mox graviora, mox minus graviora erunt, facilius sanabilia. Causa itaque therapeutica mox *perfecta*, mox *imperfecta*. Alia aliis perfectior. Ut maxima aegri salus cuiuscunque causae remotione; vtque facilissima ac iucundissima ratione obtinetur, ita haec tibi causa maxime perfectissima erit therapeutica. Quaedam

ita



ita imperfectae sunt, hoc est, earum remotione tam exigua  
aegri salutis partem conciliare potes, ut vel nullas adesse  
dicere tibi liceat. (§. 15.)

4) Eruis in casu obvio caussam quan<sup>tum</sup> therapeuticam  
esse nexus causal<sup>s</sup>is aliaque ad illam determinandam facientia  
suadent; obstant vero illius remotioni quaedam, quae nunc  
tuum est habere pro caussis therapeuticis, et hae quidem  
illarum respectu *subordinatae* erunt. Sordibus primarum  
viarum aegritudinem niti vides; sordes ideo sistent thera-  
peuticam causam. Evacuationem postulant, quam vero  
ob immobilitatem nondum admittunt. Haec itaque sordium  
immobilitas subordinata est causa therapeutica, quae qui-  
dem cum vel a spasmis vel a materiei tenacitate, cruditate  
etc. dependeat, vel spasmi vel cruditas materiae iterum sub-  
ordinatam causam therapeuticam sistent. *Genericam*,  
igitur, *specialem* etc. constituere potes.

5) Hinc in eruenda in casu obvio caussa therap. illam  
loquendi rationem saepe bene valere videbis, qua unam alia  
*magis therapeuticam esse* enuncias; id quod ex n. 3. et 4.  
pateret.

6) Si

6) Si in valde complicata ægritudine, quod veram nexus caussalis naturam cognitam non habes, aliquam aggereris caussam, eaque alias forte niti autumas, haec quidem si in autumando erraveris, caussa non vera fuit therapeutica, quod non optimu[m] quem potuisses finem impetrasti; erit autem vel *caussa therapeutica ex necessitate*, vel si nexum caussarum scire potuisses, *ex ignorantia*. Bene multa sunt, remediorum nempe aptissimorum defectus, multa quæ fortuito contingunt etc. quæ te ad has *ex necessitate therapeuticas caussas* confugere cogunt. Eodem modo de certa et incerta caussa therapeutica sermonem habere potes, cum dubius es, an removendo caussam *A* summam aegri salutem obtineas nec ne? Et ex his quidem plurima dicta sunt, ne in casu obvio, ubi de caussa loquimur therapeutica, iogomachie ansam præbeamus.

§. 15.

Enumerandi veniunt solemiores *casus*, ubi maxime imperfectæ vel, si mavis, nullæ tibi caussæ sunt therapeu-

peu.



peuticæ. Accidit hoc, 1) ubi citius cauſſa proxima mortem cauſſatur quam quod ſuī remotionem concedat. 2) ubi iſpa cauſſa tolli nequit, quamvis non cito mortem inferat. 3) ubi cauſſam quandam therapeuticam nobis futuram eſſe, eamque, igitur et per ſe ſanationem non omnino reſpuere ſentimus, remedii vero ad obtinendum hunc finem ſatis aptis carēmus. 4) ubi iſpa naturalia morborum ſeminia ſalva vita ne ad tempus quidem tolli poſſunt. 5) ubi pars sanitatis ſuperftes valde exigua eſt, ideoque vel earum rerum ſublatio, quae, quo minus hanc ſuperftitem sanitatis partem omni quo poſſuimus modo conſervare queamus impediunt, fructum multum conciliare non poſteſt. 6) denique notatu digniſſimus hic mihi cauſus eſſe videtur quem etiam frequentiſſime accidere credo. Adſunt nempe quidem cauſſæ per ſe ſanabiles, qui ſapē ſapieſ faciliter ſanabiles, quarum ſublatione vel ſanitas aegri nititur vel ſummum lenimen, quas vero proh dolor! medicus cognitas non habet, vel, quod nexus cauſarum in maxime complicata aegritudine expediri nequit, vel, quod ſignis aut deſtitutis ſunt cauſſæ aut diſcipliſſime eruendis ſeſe

pro-

produnt. Provoco ad quasdam iliacæ passionis caussas quæ mortem inferre solent, tolli autem possent, si modo signis sese proderent sat manifestis, ut certa coniectura illas autu-mandi ac manu audaci impedimenta removendi data esset medico occasio. Provoco ad colicarum caussas in herniis exiguis positas, provoco ad morbos larvatos venereo, et si cupis ad sexcentum alia,

## §. 16.

Quaeritur itaque in quacunque aegritudine 1) adestne caussa therapeutica nec ne? 2) Si adest, an simplex aut composita? 3) Si simplex, quaenam est, et quot sunt cauf-sae? quæ prima quæ secunda? 4) Si composita quæ cauf-sae primam quæ secundam sistunt compositam? Quibus le-gibus hæc quidem conditiones adstrictæ sint, supra explicavi.

## §. 17.

In morbis *complicatis* et *compositis* \*) eadem quidem quæ diximus generalia de therapeutica caussa valent, speciatim vero

\*) Cum ambigua sit *complicati* et *compositi* morbi notio, quod vel hodierni medici eo sensu morbi *compositi* vocem adhibeant, quo solito more *complicatus* medicis venit, meum esse sentio, qualem ego hic sensum admittam, indicare. Si quidem plures præsentes

D

morbis

et hæc. In *compositis morbis caussam therapeuticam* sifit vel communis eorum *caussa* vel *vnus ex morbis*, qui in compositione versantur. In *complicatis autem morbis* semper plures tibi erunt *caussæ therapeuticæ*. *Causæ* nempe therapeuticæ cuiusvis *singuli morbi*, qui in complicatione est, sifent tibi aegritudinis *caussam therapeuticam compositam*.

§. 18.

*morbis* neque a se invicem nequé a communi *caussa* dependant, *complicati* dicuntur; quos vero ille nexus *caussalis* intercedit, *compositi* audiunt. *Vnde* vero hic quorundam recentiorum *dissensus*? Hic habes meam hac de re conjecturam. Notissimum est, etiam *simplici* morbo nonnunquam *compositum* opponi. *Simplex* proprio sensu is esset, qui *vnū sibi partium C. H. vel fluidarum vel solidarum vitium vindicat, compositus* qui *plura*. Alii vero, in primis chirurgi, alium sensum admittentes, postulant etiam, ut in *composito* morbo *compositio fortuita sit*, illum, vbi *compositio* ad aegritudinis *essentiam* necessaria est, ad *simplicem* morbum referentes. Vides itaque *hunc* *composito* morbo plures res competere, quas nullus nexus *caussalis* intercedit, quoniam *compositio* fortuita est, hanc igitur *hulus* *compositi* morbi determinationem similem esse notioni *nostri complicati*; cui quidem id adhuc accedit, quod loco vocis: *compositi*, illam: *complicati* morbi s̄ape chirurgi adhibeant (de fractura complicata etc. loquentes) Qui igitur superiori nostrae explicatione plane contrariam morbi complicati et compositi opponunt: ii in eo errasse videntur, quod *illum* *compositum* *morbum*, qui *simplici* *subinde* *opponitur* cum eo confundunt *composito* qui *complicato* ex *adverso* *respondeat*. Qui quidem levis error quam facile accidere potuerit, rerumlaudata similitudo satis superque probat.

## §. 18.

In morbo *sanabili* caussis therapeuticas locum quisque largietur; sunt vero eiusmodi caussae in ipsa etiam *insanabili* aegritudine. Non enim semper est medici, sanare sed lenire morbos. In leniendo malo in prolonganda vita optimus saepe latet finis, cui satisfacere prudens quivis medicus quidni studeret? Quaecunque itaque huic scopo adversa caussas aegritudinis therapeuticas spectabit.

## §. 19.

*Symptomatici* morbi caussa therapeutica vel ipse prothopaticus morbus est, vel huius caussa therapeutica. In *haereditario* maxima utilitas est illius regulae, qua ad remotiores caussas praedispontes respicere praeципimus, has sumere therapeuticas, et sollicite occasioales quascunque evitare; qua quidem ratione avertere poteris, ne penitus in morbum erumpat haereditaria illa dispositio. Saepè enim caussa mere praedispontens in liberos transit. *Acitorum morborum* caussae therapeuticae numero longe superantur ab iis, quae in *chronicis* locum habent. Magis vero his

D 2

urgent,



SO DE CAUSSIS AEGRITUDINUM THERAP. etc.

vrgent; plura et ab ipsa natura exspectanda. (§. 4.) *Acutissimorum* caussas therapeuticas non raro in proximis positas esse videbis. (§. 7.)

§. 20.

Cauſſae vel *internae*, vel *externae* habentur, quarum illae internas sibi vindicant C. H. affectiones. Proxima et praedisponentes cauſſae semper *internae* sunt. Quod quidem assertum si cum iis quae supra monui comparaveris, cauſſas therapeuticas rarius in genere internas quam externas esse videbis. Et certe gratulari tibi poteris, cum therapeuticae externae sunt, quae quidem, nisi subitanea ac violenta quasi ratione egerint, neque adeo permanentem forte causam procreaverint, facilius aliis sanationem admitunt. Cauſſae *violentiae*, nullo praesente necessario praeternaturali seminio, occasioneſ cauſſas tibi ſiſtunt, evidentiorem morbum producentes. Quae cum adſint, ſemper habebis permanentem cauſſam ideoque de therapeutiſ cauſſis valebunt, quae in caſu permanentiſ cauſſae ſtatuenda eſſe probavi. Mira vero certe ratione ipsa natura tibi hic occurrere auxiliumque ferre ſolet.

§. 21.

## §. 21.

*Res ipsae sic dictae non naturales ad caussas therapeuticas aegritudinis pertinere subinde videntur. Quod quidem non solum in desperato casu valere statuas, ubi iusto vitae regimine, missis omnibus medicaminibus quorum salutari actioni nullam amplius fidem habemus, aegritudinem temperare aegrumque quantum fieri potest conservare studemus; sed in alia fere qualicunque aegritudine. Quid quæso in plurimis acutis morbis, si laudandam celeberrimorum medicorum simplicitatem sequeris, ad sanandum aegrum tibi opus est, quam pauca eaque simplicissima selecta medicamina propinare, et summam contra rerum non naturalium habere curam, hoc est, iustum vitae regimen morbi- quæ naturae accommodatum praecipere. Quod enim in hoc morborum genere ipsa natura saluberrima conatina moliri solet, canissas therapeuticas sistent omnia impedimenta istis adversa, quorsum, loco omnium, id pertinere mihi credas, ut de rebus non naturalibus sollicitus sis, quarum prudenti applicatione direktione temperatione summa saepissime nititur aegrotantis salus.*

## D 3

## §. 22.



## §. 22.

Inter omnia vero quae ad determinandam caussam aegritudinis therapeutica in casu obvio facere possunt, ex acta nexus caussalis cognitio maximas omnino laudes meretur. Qui quidem quam diversa ratione in variis aegritudinibus sese habeat, dici non potest. Omnino expediri vel nequit. Concatenati sunt effectus cum caussis mirifico modo; morbi cum morbis, caussae cum caussis, symptomata cum symptomatibus coniunctionem ineunt; qui effectus erant, caussae evadunt; et ipsi caussas alunt; oritur circulus ut ita dicam caussarum, quas mutua neclunt vincula; ipsa naturalia seminia praeternaturalibus olim adversa, his repugnantia, resistentia, nunc illa ipsa promovent, augent, in propriam perniciem ruunt; morbo morbus additur; vnam forte caussam natura vincit, non ita reliquas, et medicum fallit; caussae, ante decem annos enatae, in corpore quasi hoc longo tempore sepultaes, evigilant, calamitosos effectus sternunt, quorum caussae diuenatae omni suspicione immunes intactae a medico relinquentur, saevire impune pergunt; est vna; sunt plures caussarum series, quaedam ex vna serie in alias alias seriei

caussas



caussas agere valent; invenies quasi *caussas a latere*; multae in tenebris repunt, suas sternunt calamitates, sensus fugiunt; aliae sensibus patent sed forte minoris momenti sunt, maioris habentur; symptomata in varia aegritudine eandem non raro prae se ferunt formam externam, caussas varias agnoscunt; aliae contra variam speciem prae se ferunt, neque minus tamen ab iisdem caussis sanandis proficiscuntur; hinc ipsa symptomata ut signa caussarum medicum fallunt; idem in aliis signis non raro accidit; in ipso morbi progressu mutantur multa; evanescunt caussae, aliae succedunt in locum, sanatio his congrua quod prioribus non profuit falso reiicitur; quae prae disponens fuit caussa, occasionalis evadit; quae non permanens fuit, nunc permanens est; naturae ipsius conamina, vitae regimen, medicina aegro facta statum morbosum alterant; quae temere accidentur cum aegritudine ipsa nexa videntur, nec sunt; caussae quae intercedunt vel ex parte vel stricte sic dictae permanentes negliguntur, ut denique alia permulta mittam, de quibus supra sermonem habui. Quae cum ita sint, neminem fore puto, cui, quod perfecta caussarum nexus cognitione rarissime medicus gaudere queat, res videatur aut dubia, aut multa

admiratione digna. Hoc vero hoc loco adjicienda animadversio. Clara quidem caussae therapeuticae cognitione destitutis nobis nonnunquam tamen rei conceditur cognitio, qua in sanando ducimur. Fugere te potest id ipsum, quid sit, cuius remotionem moliaris, et quo omnis quasi nititur aegritudo, habes vero concursum signorum cuiusdam aegritudinis, symptomata varia etc. quem iam semel aut saepius observasti et qua praesente certa quaedam medicamina summa cum utilitate propinasti, ideoque caussas therapeuticas te removisse, iure concludis, quamvis tibi haud cognitas. Quem vero statum morbosum cum iterum adesse vides, quid est, quod eadem remedia saepius cum euphoria data iterum propinare dubites? Premi in hoc casu bonam tuam spem hac illave difficultate, non nego. Difficile saepe est diiudicare, an idem omnino qui olim adfuit status nunc praesto sit? Eruas itaque ad determinandas in casu obvio caussas therap. quantum fieri potest, aegritudinis caussarum nexus. Non vero omnibus omnino numeris absoluta earum cognitione tibi opus erit, dummodo praecipuas cognitas habeas, et qui eas intercedat nexus benedistinguas. Quae faciant ad erendum caussarum nexus, multa sunt, quae suadere

siuadere possem; sufficient haec. Praeteritum non minus quam praesentem statum aegrotantis investiges; omnem aegritudinis decursum audias; praecipue vero ad eas caussarum determinationes respicias, quas ad determinandas therapeutas caussas facere diximus. Investigabis ergo, an una aut plures caussarum quae adhuc agunt, series? an morbosae obortae mutationes in prioribus adhuc praesentibus vereque agentibus caussis rationem suam agnoscant? an permanentes caussae adsint, certe ex parte etc. (§. 10.)

## §. 23.

Alia autem multa supersunt, quae iudicium tuum in exploranda hac vel illa caussa therapeutica dirigere valent. Res nititur saepe ipsa aegrotantis voluntate; tua qua gaudes experientia medica atque eruditione; signis caussarum; facilideneque vel difficulti response ad has quæstiones: an tuto removeri *A* possit? (quod si posset, causam susteret therapeuticaem,) an eo remoto status ægri nunc praesente vere perfectior oriatur, nec ne? quænam ex caussis *A* et *B* citius tolli queat? (siquidem duæ adessent, quo ad ceteras determinationes sibi pares,) cuius, ceteris paribus,



agro iucundior aut minus molesta sit remotio? etc. Arduas saepe esse has questiones facile intelligitur. Revocare in animum liceat morbos sic dictos salutares; ulceræ vetusta etc: Quæ hoc loco medici praecipiunt, ea te certe docebunt, varia hic concurrere, quæ, an hæc an illa ut therapeutica causæ tibi eligenda sit, longe diuque hæsitantem faciunt. Si vero ab his omnibus discesseris, alia adhuc superesse non negaverim quæ in rite determinandis aegritudinum causis therapeuticis non minoris facienda sunt. Plures forsan tibi cogniti erant vel certe nostra pericula legenti in mentem venerunt fontes, ex quibus haurire queas therapeuticae causæ determinationem, 'quos quidem si habes, tibi gratulor, me vero de iis non dubitasse scito.'

## §. 24.

Ut itaque fere omnes, quibus nititur causa therapeutica amplectar conditiones, singulas enumerabo, quarum uberior explicatio patet ex antecedentibus.

1) Agitur vel de conservatione vitæ vel de promovenda vitæ quadam perfectione,

2) Ae-

- 2) Aegritudinis caussae vel adhuc agunt vel non. 3) Sa-  
lentarem medici actionem vel admittunt, vel non.  
4) Propiores mortem minantes sanationem admittunt, vel  
respuunt. 5) Noxii determinati effectus remotioni, impe-  
dimenta vel obstant vel non. 6) Salva vita naturalia feminia  
removeri posunt, vel non. 7) Est vel una, vel sunt plures  
causarum series. 8) Naturae conamina salutaria in simili  
aegritudine iam observata sunt, vel non observata. 9)  
remediis ad removendam causam *A* aptis vel gaudet vel  
caret medicina 10) propiores caussae vel mox mortem  
inferunt, vel non, et remotiores auferendi vel conceditur  
tempus vel non. 11) Remotissimam praeter naturalem,  
therapeuticam facere quaedam vel impediunt vel non; vel  
remotioni quaedam adversa sunt vel non. 12) vel unum  
vel plura sui remotionem postulant; vel urgent simul vel  
non. 13) nexus causarum vel cognitum habes vel non.  
14) signa ipsius caussae vel habes vel non. 15) Tuttius  
citius, iucundius *A* tolli potest quam *C*. Patet hoc vel  
non. 16) Ipsa tua eruditio; aegri voluntas, nexus causa-  
lis cognitio varia; etc. 17) Facta iam in simili aegritudi-  
ne medicina. Vera vel falsa conclusio de praesenti aegritu-  
dine

dine, illi vere simili. Haec sunt praecipua. Alia vel iam hisce continentur, vel remotiora nimis ad determinanda in causam therapeutica facientia spectari posunt.

## §. 25.

*Observemus nunc ipsam naturam, morbos tollentem; eamque quasi regulas de quibus dixi sequi, hinc dicta egregie confirmari videbis; aut, ut verius loquar, viam, quam vel ipsa natura vel medicus ad sanandum morbum ingreditur variam, non omnino male me designasse videbis; non enim naturam aut medicum nostras regulas sequi volo, sed ex huius vel illius sanantis agendi ratione legitime ratiocinando et rite observando leges deducere cuperem. En itaque! nonne ipsa natura, qua dixi ratione, mea hanc mox illam causam, therapeutica sibi sumit? ita, ut legibus nostris se adstringere videatur? Et naturam primo loco videbis maxime semper ad remotissimas tanquam therapeuticas caussas spectare. Sanare vult aut certe tollere morbum. Morbi perseverantes quodammodo exceptionem sed raram caussantur. Lex vero illa, remotissimas tolle aegritudinis*

*tudinis caussas*, quam certissima sit ad obtinendum hunc finem, tantum abest ut nesciat natura, ut illa potius, cum omnia frustra tentavit, omnes fere aegritudinis caussas op-pugnavit, neque in eatenus obsequenda illa lege, quatenus vita salva sieri potest, ullam salutem superesse videt, nunc, ut alteram certe finis partem obtineat, missa salvæ vitae conditione, quam strictissime illi legi satisfaciat, ipsa omnia naturalia seminia tollat, et arma quasi in se ipsam tor-quens se destruat. Dedit se ipsam praecepitem, sed susti-lit morbum. Ubiunque vero potest, neque impedimenta haud superanda adversa sunt, ibi benigna ratione ita illi legi satisfacere studet, ut non solum non destruantur omnia morbi naturalia seminia, sed ipsa etiam restituatur sanitas; ne multa, ea omnino ratione versus aegritudinis caussas motus salutares dirigere solet, qua therapeuticas caussas eruendas et removendas esse in antecedentibus enarravi. Tollit nonnunquam naturalia morborum seminia, et in eo quidem se plus arte valere observare mihi videor. Illa enim permulta non raro, quid dicam multa, omnia fere nonnunquam seminia ad tempus tollit, quod quidem vix impune imitari posset audacissima medicina. An ad fistendam ha-

mor-



## 60 DE CAUSSIS AEGRITUDINUM THERAP. etc.

morrhagiam quidquam efficacius ipsa lipothymia quam natura caussatur? Hac vero excitata tollit natura sanguinis fluiditatem in loco haemorrhagiae, ideoque seminum morbi naturale; neque rarissime eo ipso simul praeternaturalem caussam aufert, cum sanguinis grumi, lipothymiae tempore formati, unitatem solutam, nisi gravior sit, reunire quodammodo valeant. Simili ratione summas hominum sensationes, dolores etc: benigna excipere solet lipothymia, ad tempus certe hominem a statu nervorum nimis intenso, animi pathematis sequela, cuius longius perdurantis valde noxii forent effectus, atque simul ab omni dolore liberatura. Haec vero moliens natura seminia naturalia ut therapeuticas caussas habet. Quid? quod, destruit subinde omnino partis cuiusdam omnia naturalia seminia, et vicinas non affectas partes tutas, sanas relinquit. Omni certe admiratione digna est benevolia naturae activitas, quam in gangraena sicca, cum partem affectam a sanis vicinis separare studet, videre licet. Alio, in rariori tamen, casu proximam caussam therapeumaticam habet natura. Laudavi iam supra exemplum paroxysmi epileptici. Plerumque vero caussas remotiores praeternaturales therapeuticas sibi sumit.

Innu



Innumera omnino sunt exempla. Vomitu, diarrhoea,  
sudore, haemorrhagia, ulceribus, abscessu, materiam  
peccantem excernit, alias loco minus nobili deponit, et sic  
porro. Quid enim multa verba hac de re longe certissima face-  
rem? Ad salutares morbos et ad ipsa critica naturae omnia  
conanima te relego, quibus bene perpensis optime dicta  
nostra probari senties. Quin ipsius naturae a summo Nu-  
mine facta omnis constitutio id mihi suadere videtur, quod  
isti praecipue legi adstricta sit, qua, ut remotissimas aegri-  
tudinis caussas praeternaturales vividissime oppugnet, co-  
gitur. Has enim vividissime sentit, ab his sese liberare  
praestat. Ortis vero propioribus permanentibus caussis,  
neque feliciter mox superata remotiori praeternaturali  
caussa, nunc vires naturae saepe fractae, nunc vincendo  
malo impares, eique vix amplissimae destinatae esse videntur.  
Neque hanc legem modo in morbo sed in ipso etiam fa-  
no statu mihi observare video. Valet nempe, hoc volo, in  
aegritudine: praestare in genere, remotissimas praeternatu-  
rales caussas sanare; hinc summa naturae sensilitas in isto  
caussarum genere; hinc illa et medico et naturae praescri-  
pta lex est. (§ 9) Valet vero et simile quid in sanitate; cer-

tius



tius enim sanitatem servabis, si remotiores praeципue res avertis, quae turbare valetudinem possent, quam si de proximis sanitatis caussis bene conservandis anxie meditari velles. Praestat ad conservandam tuam sanitatem, patinam solanis multis, aliisque noxiis cibis refertam, quos devorare iam in animo erat, seponere, quam de fluidi tui nervei conservanda elasticitate cogitare. Et illam quidem legem in fano statu, ipsius naturae constitutio iterum mihi suadet. Aversatur illa maxime quae remotissima ratione sanationem turbant, de propioribus sanitatis caussis conservandis parum quasi sollicita. Omnes ideo, ut ita dicam, corporis humani primae viae, quas peccantes materiae, tanquam remotiores aegritudinis futurae caussae, aliave noxia ingredi possent, sub initio statim maiori sensilitate praeditae esse videntur. Ventriculus motum suum quasi invertit, vomitum ciet, ne progrediatur caussa aegritudinis remotior. Lingua praesto est, iudicium fert de noxia qualitate ingerendorum, cui quidem ob alimentorum necessitatem, et maximum hoc prae ceteris loco frequentiam ingredientis ac descendensis aegritudinis caussae remotioris, addidit natura et nasum, et oculos, atque vicino loco constituit, ut, infer-

ferendo de alimentorum qualitate iudicio, auxilium ferre queant. Arteria aspera quam sensilissima in superiori eius parte? Oculos palpebrarum frequens ille nuditans motus a remotis multis externis caussis, quae illos laedere possent, tuetur. Et sic porro multa alia idem probant exempla. Est vero et subinde vis naturae, ipsas iam ortas permanentes caussas feliciter oppugnandi, siisque subortis, eas sibi quoque therapeuticas sumere, et in hoc quidem negotio iterum plus arte se nonnunquam valere, observabis. Non rarissime tamen nunc vel non satis agit vel mox ipsa naturalia seminaria tollit. Hinc nullibi magis medici auxilium poscit natura, alias sibi non raro sola sufficiens, quam quidem istis praesentibus quae circumstant conditionibus. Limitationes, exceptiones, quas de communi illa regula § 9 etc. annotavimus, omniaque alia, quae ad determinandam caussam therap. facere diximus, mutatis mutandis et a natura observari ac perfici, facilis comparatio te docebit, cui, nimis longae, supersedeo. Hoc unum addere liceat. Absolvit sepius natura alteram sanationis partem, si modo primam absolvendo arte sapienter ipsi occurras. Mutuum nempe auxilium et natura et medicus petit. Saepe neuter ab altero relictus quid valet. Multis

E

prae-



praesentibus caussis therapeuticis pergit egregie natura in sanando, cuius initium fecerit medicus. Quod dixi, id in primis tenendum est, ac bene conservandum, praesente *caussa ex parte permanente*. Habet enim hoc loco remotiores quasdam adhuc quodammodo agentes superstites causas, quae cum illa ex parte permanente *caussa compositam* tibi fistunt caussam therapeuticam. Iam si tollis remotiores caussas, ne stricte sic dicta oboriatur permanens *caussa*, alteram sanationis partem non raro ipsa natura suscipiens tuum facilitat practicum negotium.

## §. 26.

Hic habes generalem caussarum therap. determinacionem, quam ex legitime instituta comparatione huius cum aliis caussarum differentiis aliisque quae ad restituendam sanitatem faciunt conditionibus, deducere, periculum feci. Sequentur nunc specialis, qua quidem ipsas aegritudinum caussas therapeuticas evolvere studeamus. In ea enim sum opinione ut ea *ipsa eruere nos posse statuam, quamvis multis, plurimis tamen superandis, difficultatibus rem omnino premi concedam, quae sint, quae in sanando therapeutica*

ticarum caussarum munere funguntur. Nimis longa vero hac de re nostra foret oratio; plurima itaque in aliud tempus differens, iterum generalia quaedam ut ita dicam circa hanc specialem caussarum therapeuticarum considerationem adiungere hoc loco sufficiat. Est certe longe alia quaestio: quid sit illud ipsum, quod in casu obvio oppugnandum sit in sanando? cui quidem eo non semper respondere poteris, quod generalem therapeuticae causae determinationem, quam hucusque investigavi, cognitam habes.

## § 27.

Qua igitur ratione *in casu obvio* caussas therapeuticas eruere nobis datum est? Duplici. *Primo* certe loco, quamvis non perfectam ubique ad hanc quaestionem responsionem absolvere fatendum sit, *omnes enumeratae generales de causa therapeutica regulæ* investigandæ sunt. Investigatae non rarissime ea ipsa docebunt, quæ sint sananda. *Nevero* in eo quod fero consilio ullam silentio praeterisse videar difficultatem, huic scopo non semper sufficere scias, *quasdam* investigare, sed omnes omnino considerandas esse

conditiones, quibus nititur cauſſa therapeutica. Primum igitur effet negotium, singulas consulere leges quas consti- tuimus; si non in prima, in altera tamen, niſi in hac, in tertia forte salutem invenies. Moneo vero, ne in hoc ne- gotio quidquam eorum negligas quae laudavi. Valeat au- tem præcipue hæc admonitio de ſalutaribus naturæ conami- nibus (§ 4) Secundo vero loco, qui ſaepē ſolus ſufficit, ipſa cauſſarum therapeuticarum ſigna ponenda ſunt, vel miſſo generali ratiocinio vel hoc quaſi in auxiliū modo vo- cato. Cum enim inde ab innumeris fere annis obſervatae ſint a medicis aegritudines, et quidam certe ad ea inprimis ſemper animadverterint, quarum remotionem ſanitas aliuvne quicunque perfectior aegrotantis ſtatus ſequi ſolebat, quid eſt, quod mireris multas cauſſas therapeuticas ſuis non de- ſtitutas eſſe signis? Sordium primarum viarum remotionem aegri ſalutem ſequi, millenae obſervationes conſirmarunt; hinc referendae ſunt ad cauſſas therapeuticas, ſuis vero ſi- gnis ſeſe produnt, et ſic porro.

## §. 28.

Signa vero cauſſarum therap. duplicitis generis ſunt, Quaedam iplis *propria* ſunt, ita nempe comparata, ut ſi hæc



videas, ad ipsius caussae therapeuticae existentiam iusta valeat conclusio, neque unquam sine his signis oboriatur caussa therapeutica. Utinam nulla iis destituta esset! Sunt vero. Alia signa, quae quidem si exakte loqui cuperes vix signorum nomine digna haberet, eius conditionis sunt, ut mere in hoc vel illo casu ad caussam certam quandam, conclusionem iustum concedant, cuius quidem naturae vel innumera causarum signa esse iure dolebis. Uoam enim caussam therapeuticam vel mille aegritudines agnoscere observes, quae quidem omnes certo respectu ad illius signa referri possunt, non vero ad propria. Quot nonne morbi, quot aegritudines a retropulso exanthemate ortum trahunt? Exanthema retropulsum caussam therapeutic, silit. Quis vero ex illis aegritudinibus ad retropulsum exanthema per se concludere posset, nisi hoc propriis forte signis stipatum sit? Et tamen si ab ipsa, quam tradere tibi potest aegrotans, morbi historia discesseris, non alia propria huius therap. caussae signa invenies.

## §. 29.

Ipsae caussae therapeuticae *non ita multæ* sunt, ut suspicari fortasse posses. Quid? quod, sunt quaedam ex

his, quas in enumerandis omnibus caussis huius naturae silentio praeterire posses, quod nimis generales sunt, iisque subordinatas habent alias caussas, quarum quidem in enumeratione mentionem forsan iam fecisti alio loco. Haec vero in hoc negotio quam mihi proposui lex non omnino temere constituta esse videtur, *ut nempe in enarrandis omnibus caussis therapeuticis earum, quae quidem generales sunt, et quarum subordinandae aliae alio loco iam postitae inveniuntur, siquidem non in sensus cadunt et signis propriis destituta sunt, nihilo minus tamen mentionem facias.* Oritur hinc repetitio quaedam non gratissima, multo tamen rarius id contingere solet, quam apud alios, qui aegritudinum historias exposuere. Caussarum itaque therapeuticarum exiguis numerus est. Idem valet igitur de varia methodo medendi. Quis quoquo et medicinam faceret, si tot medendi methodi locum haberent, quot enarrari solent aegritudines? Varia sunt, ex quibus perspicere rationes posses, quibus fiat, ut multo pauciores sint medendi methodi, quam ipsae aegritudines. Hae variae dicuntur ob formam variam externam, hanc in sanando negligis. Perspecta autem de caussis therap. doctrina omnina haec tibi erunt clariora. Ut

vnus



vnum moneam, facile vides, vnam eandemque caussam therap. varias corporis partes afficere posse, hinc variam aegritudinis formam externam enasci, methodum vero medendi, nisi partis singularis constitutio mutationem exiguum postulet, vnam fore eandemque. Accedit certe, quod vna eademque sanandi methodus varias in corpore humano salutares mutationes proferre soleat, hinc hac mutatione huic, illa mutatione illi malo occurrat. Mitto alias rationes. Confer. GAUB, instit. pathol. §. 63. ZIMMERMANN von der Erfah. p. 125. SYDENHAM, Opp. Praef. Edit. Gen. p. 7. Edit. Lugd. p. 13.

## §. 30.

Vt vero clarius pateat, quot diversissimae aegritudines ab iisdem caussis therapeuticis natales petant, \*) easque removendo sanari queant, nunc certe longissimam orationem instituere possem, cum ad libros conscribendos rerum multitudo sufficeret. Cum autem de re gravissima sermo sit,

E 4

non

\*) Quod vero in medicina toties vnius eiusdemque caussae diversi effectus occurtere nobis videantur, huius rationem in eo sapienter querendam esse scias, quod non totum effectum sed partem eius observemus, ideoque eundem effectum esse statuamus.

non possum tamen non, quin te moneam, vt in evolvendis libris pathologicis et therapeuticis, quoties in diversis aegritudinibus vna eademque caussa therapeutica occurrat, animadvertas. Quoties sordes primarum viarum caussam therapeuticam tibi fore putas? in quam diversissimis aegritudinibus? En! innumeræ sunt, nostro inprimis saeculo. Noli vero vt haec exakte perspicias ad eos tantummodo morbos cogitare, quæ vt ita dicam luculenter p[re]se ferunt biliosam naturam sed etiam ad anomalous a quibusdam sic dictos morbos biliosos. \*) Idem valet de omnibus aliis caussis therapeuticis. Ita diversae a quacunque caussa therapeuticā aegritudines enascuntur, vt qui rerum naturam non novit vel iuraret, fieri plane non posse, vt, quae coeli in star a terra a se distare aegritudines videntur, vnam eandemque therapeuticā caussam agnoscant. Provoco, vt vnum attingam, ad febres intermitentes larvatas. Nolo autem plura verba h[ab]e de re facere, cum ad haec clarissime perspicienda ad singulas causs. therap. respicere, et, quam diuersas aegritudines proferant, animo tuo pervolvere, sufficiat.

§. 31.

\*) Cf. Cel. FINKEL de morbis bilios. anomal.

Nunc itaque medico pratico facile ignoscet, immo-  
ni fallor, ipsum laudabis; cum in casu obvio omnis diffe-  
rentiae inter aegritudinem & morbum, caussas proximas  
et remotas et quae sunt reliqua, omnis externae aegritudi-  
nis formae *quasi* obliviscens ad caussas therapeuticas praeci-  
pue animadverterit. Est in hac re quaedam laudanda simili-  
citas, qnae si tibi non placet, et doctioris philosophi vices  
gerere malis, audias haec. Est philosophi, si rei utilis  
postulat applicatio, vel ad ea respicere, quae sensus fugiunt.  
Iam videoas hominis omni medica cognitione destituti de  
aegritudine iudicium. Lecto affixus est aeger, querelas  
fundit. Vere aegrotat, inquit. Audiamus doctorem.  
Respicit ad caussas, videt e. g. tussim, morbumque ipsum  
inquirens, tussim morbum esse strenue negat, symptoma  
esse affirmans. Hinc mittit quasi tussim, ipsumque morbum,  
morbosam respirationi inservientium partium factam ab  
irritamento quodam mutationem esse enunciat. Quid vero!  
nonne hoc doctior esses, si ad caussas therapeuticas, misso  
*quasi* ipso morbo, respicias? Huius enim consideratio ad

fanandum utileius quam cuiuscunque alius aegritudinis partis; neque raro sensus fugit, et difficilime eruitur. Fac igitur obliuisci practicum medicum epilepsiae, ophthalmiae, febris continentis, continuae, tertianariae, tertianae, morbillorum, variolarum, scarlatinæ, apoplexiae, pleuritidis, peripneumoniae, phrenitidis, rheumatismi, hypochondriae, melancholiae, tetani, astmatum, catarrhi, tussis, hæmopteos, hydropis, cardialgiae, colicae, lienteriae, passionis iliaca, vertiginis, hecticae, etc. hunc vero miserum, ut a quibusdam illum appellari audio, practicum nosse causas therapeuticas, earumque signa, hunc certe praestantisimum medicum esse ego nunquam negabo. Quid, quod! quæro ex quo cunque pratico medico, qui tres modo annos medicinam multis aegrotantibus fecit, an coram lectis aegrotantium eorum memor fit, quæ laudavi? an unquam adhuc haec sit idearum series: hic habeo febrem variolosam continuam quotidianam, et quidem variolas confluentes malignas etc. hic habeo hanc vel illam exanthematis speciem, hic epilepsiam, hic ophthalmiam, hic dispnoeam sanandam. Minime respondebit, haec si signa esse possunt, celerrimo intuitu digna habeo, inhaereo vero causis therapeuticas

corum-



eorumque signis, neque ad aegritudinis formam externam  
qua talem vnuquam respicio.

## §. 32.

Quae cum ita sint, quid est, quod feliciter haec ad aegritudinum systemata applicari posse dubitemus? Varia condita sunt, quorum vberiori disquisitioni supersedeo. \*) Ut militum cohortes ordinarunt aegritudines. Quidquid externam similem formam habebat, id omne iuxta se posuerunt, vt sit in ordinandis militibus. Nomina excogitarunt ad distinguendam aegritudinem A ab aegritudine C, et cur hoc? quod aegritudini A minima quaedam externa differentia competit, quam in C non invenies. Plurimi huiusmodi considerunt systemata. Hoc certum est, complicasse scientiam nostram multos; sit nostri et sequentis aevi studium, expedire multa, et ad utilem illam reducere simplicitatem in qua non solum compendium laboris et studii in tironum gratiam sed decus etiam et ornamentum invenire mihi videor.

## §. 34.

\*) Cfr. Celeb. BALDINGER Animadvers. in Nofol. systemata. Specim. IV.



Vt igitur multa quae non placent systemata mittam,  
eos certe optimam viam ingressos esse statuo, qui in consti-  
tuendis aegritudinum generibus naturalem morborum affi-  
nitatem fundamentum omnis divisionis posuerunt. Huic  
fundamento certe partem hanc forteque illam quidam iam  
superstruxerunt. *Morbi vero naturaliter affines*, qui  
sunt? *Ii, inquam, quorum vel eadem vel similis est cauf-*  
*sarum therapeuticarum ratio?* Affines enim passiones,  
*αἴδελφέα παθήματα*, eadem caussa proxima tanquam com-  
muni matre genitas, dicere te non posse, ex comparatione  
therapeuticæ caussæ cum proxima et remotis supra institu-  
ta tibi patebit, neque unquam in sanando proximæ caussæ  
dignitatis quid detraxisse poenitebit. Quid igitur *si veris*  
*caussis therapeuticis aegritudinum sistema superinstrue-*  
*res?* Fieri id posse, alio tempore ut re ipsa probare queam  
non omnem mitto spem. Hic modo liceat quaedam de præ-  
stantia huius systematis *nec maioris nec minoris facienda*  
ideoque recte diiudicanda patica adiicere 1) Eset ita com-  
paratum, ut immediate te duceret ad sanationem feliciter

ab-

absolvendam. Patet ex notione caussae therap. 2) Simplicitate alia quaecunque systemata superaret. (§ 30) 3) Facilima ut utilissima eius esset applicatio coram lecto aegroti.

4) Minime excluderet alia systemata, neque aegritudinum externam faciem describendam esse, temere interdiceret, id quod absonum foret, sed potius ea egens eam postularet.

5) Difficultates sunt multae; quaedam non superandae; hinc non omnibus numeris absolutum esse posset: remotionem tamen admittunt plurimae; hinc faciendum periculum, ne in suscipiendo utilissimo ceteroquin negotio *a quibusdam nunc temporis nondum superandis difficultatibus perterritos esse*, aliquando nos pudeat.



## Errata.

Pag. 2. lin. 9. *qui lege quae*

P. 17. lin. 10. *minns — minus.*


P. 27. lin. 3. *inhaerenti — inhaerente.*

P. 59. lin. ult. ~~*audacissimae*~~ — *audacissimus*. etc.



1018

2. CA



DE  
CAUSSIS AEGRITUDINUM  
THERAPEUTICIS,  
IISQUE  
SUPERSTRUENDO AEGRITUDI-  
NUM SYSTEMATE.

CONSE

PRO C

IOANN

